


EMBLEMA XII.

SYMBOLUM REGUM.



Non sibi fax, aliis flammatō vertice fulget.
 Luceat ut cunctis uititur atque perit.
 Esto Tibi, atque aliis lucens, ardensque lucerna
 Rex; aliis lucens, ardeat illa tibi.
 Totus in extremas solvi meditare favilas.
 Quæ te flamma urit, cetera lustrat, alit.

COMMENTARIUS.

HANC eamdem Iconem, quam nostro hoc Emblemate fingimus, preoccupasse videri potest Hadrianus Junius (*a*), dum pariter illam inter sua effigiat, atque proponit, simul tamen cum libro & horologio, lucernæ, & candelabri latera commitantibus. Hoc symbolo ostendere volens, vitam mortalium vigiliam esse, illudque dumtaxat tempus utiliter transigi, quod libris, & studiis impenditur. Sic enim ejus carmina habent:

Invigilare libris, studio metirier horas,
 Pars vita est Princeps: otia vita fugit.
 Fama vebit vigiles, sepelique oblitio inertes:
 Hoc liber explicitus, clepsydra, lychnus habent.

2 Nos alio tendimus, & superioribus monitis insistentes, non Pastoris tantum, verum & Lucernæ vicem officiumque sortiri, & subire debere Principes, hac pictura significamus, si commissi sibi à Deo muneric rectam (ut par est) rationem reddere cupiant. Haec enim apitissimum symbolum Principatus præfserit. Accenditur quippe ut luceat omnibus, vel D. Matthæo (*b*) testante, & dum omnium utiliti deservit, ipsa sensim absumitur, nullamque inde aliam sibi præsumit. Unde in Sacris, & profanis literis nihil frequentius, quam sub facis, vel lucernæ metaphora Principatum, & Principes denotare, eaque propter Davidi, & ejus filiis (*c*), sub lucernæ nomine Regnum promitti videmus, & apud Jobum (*d*), *Lucernam extingui*, idem valet, quod Regnum cessare, aut lucem, & felicitatem, in qua quis versatus fuerat, tenebrescere: *Lux* (inquit) *obtenebret in tabernaculo illius, & lucerna, quæ super eum est, extinguetur.*

3 Est enim Princeps quasi lucerna Reipublicæ super candelabrum; id est, in Regia illa, & sublimi sede posita, in qua suspiciendus ceteris constituitur, ut errorum caliginem discutiat, & eximia prudentia lumen rebus obscurissimis impertiat, exemplo à Christo Domino, Rege,

(*a*) Hadr. Jun. Emblem. 5.

(*b*) Matth. 5. 15.

(*c*) Reg. 3. 11. 35. & 4. 8. 19. Psalm. 17. 29. § 131.

16. ubi Lorin.

(*d*) Pined. in Job capit. 1. pagin. 10. & 11. Job capit. 1.

ac Legifero nostro, desumpto, qui nostram vicem miseratus, descendit de sinu Patris (*e*) *Illuminare iis, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam Pacis.* Unde & lampas, & gentium luce etiam ab Isaia (*f*) appellatur, & quod magis est, adhuc in coelesti Regno, quod totum est splendore collucens, idem Lucernæ nomen, & munus retinet, ut à Divo Joanne in Apocalypsi (*g*) docetur, dum inquit: *Et civitas non eget Sole, neque Luna, ut luceant in ea; nam claritas Dei illuminavit eam, & lucerna ejus est Agnus.*

4 Solis quoque nomen, & munus, ac Civitatis supra montem posita Principibus, aliisque Prælatis idem Christus Dominus (*b*) impertivit, dum dixit: *Vos estis Lux Mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita.* Sed tamen statim addit, lucem hanc vel lucernam, non esse sub modo abscondandam, sed super candelabrum collocandam: *Ut luceat omnibus, qui in domo sunt, & videant opera vestra bona, & glorificant Patrem vestrum, qui in Cœlis est.* Quorsum enim idem Rex, & populi Princeps, Lux Mundi, & Sol quidam sit? nisi ut ipso exoriente, atque affulente, dispares tenebrae, homines ex pergiscantur, excitatique *Exeant ad opus suum, & ad operationem suam usque ad vesperam*, ut alibi Psalmographus (*i*) inquit. Vel quorsum Rex sit Civitas supra montem posita? nisi ut suos intra suos muros, suosque mores contineat, ut benè noster Pineda (*k*) considerat.

5 Quem prævit Seneca, Solique, & aliis Planetarii syderibus Principes similes faciens, ceterum non in eo tantum, quod nos suo splendore lâtent, foveantque, sed retrò semper in ortus suos revertentia, juxta illud Claudiani (*l*):

Quo vivat Macchina motu
 Sydera cur septem retrò vertantur in ortus.

Nobis non sibi suos labores effectusque distribuant. Senecæ (*m*) verba sic habent: *Cæsari quoque ipsi, cui omnia licent, propter hoc ipsum multa non licent: Omnia domos illius vigilia defendit, omnium otium illius labor, omnium delicias illius industria, omnium vacationem illius occupatio. Ex quo se Cæsar orbi terrarum dedicavit, sibi eripuit: & syderum modo, que irrequie- ta semper cursus suos explicant, numquam illi licet, nec subsistere, nec quicquam suum facere, &c.*

6 Quem locum explicans Justus Lipsius (*n*), ita non minùs graviter, & ad rem nostram appositi inquit: *Sicut Sol ille non luet modo, sed foveat, vegetat, animat: sic verus illam populorum Rector, in splendore suo commodat, & juvat: Moderatori Reipublice (ait Cicero) beata civium vita proposita, ut eat sit opibus ampla, copiis locuples, virtute instructa.*

7 Quod idem prorsus est, quod in nostra Lucerna conigit, quæ aliis ardens & lucens, semetipsam consumit, & hoc tantum, excidium sive exitum sua beneficentia consequitur. Verum illud Antigoni reddens, qui filium de Regni cura admonens, nihil aliud (ut ait Plutar- cus (*o*)) Regnum esse præfatus est, quam splendidam quandam servitutem, quoniam non populus causa Gubernatoris, sed contra Gubernator, causa populi fit. Alludens, ut appareat, ad Socratis doctrinam apud Platonem (*p*) dum dixit: *Rex eligitur, non ut sui ipsius curam batet, & se molliter curet, sed ut per ipsum, qui elegerunt, benè beatèque vivat.*

8 Unde & Synesius (*q*) rectissime dixit: *Regi omnia terra, aquæ, aëris munera Deos dedisse. Regem vero usum earum rerum populo induluisse, reservatis sibi pro communis felicitate cu- rits & laboribus, Hadrianique (*r*) Imperatoris laudata illa vox: Ita se Rempubican gesturum, ut sciret, rem populi, non suam esse. Cui consentiens Ammianus Marcellinus (*s*), graviter pronun- tiavit: Imperium curam esse salutis alienæ. Principes enim debent babere perspectum, se sibi mi- nimè natos esse, sed sui populi commodo, & utilitati.*

9 Et de Ludovico Crasso, Francorum Rege, narrat Paulus Aemilius (*t*), quod triga annis regnavit, & ne quid fortunato decessui deesseset, cum fatalem sibi diem appetere senti- ret, revocavit sibi filium Ludovicum Juniores Regem è Vasconia: coramquehortatus est, obtestatusque, ut magis pè regnaret, quam ipse fecisset, Religionem coleret, egentibus consuleret; orbis, pupillisque prospiceret: Paci, communique dignitati, ac saluti inserviret; Regnum nihil aliud quam Procurationem, Munusque publicum existimaret; cuius, in vita administrati, reddendum esse rationem continuò post fata sciret, sedente in se Immortali Judge, sua cuique facinori parata præsent, sempiternaque mercede: *Quod etiam Divus Bernardus (*u*) Eugenio III.*

10 *Lucas 1. 79. : ministris supradictis easmodi.*
(e) Luca 1. 79.
(f) Isaia 49. 6. 62. 1.
(g) Apocal. 21. 23.
(h) Matth. 5. 14.
(i) Psalm. 103. 23.
(k) Pineda in Job, 1. tom. pag. 38. in fine.
(l) Claudian. in Paneg. Mag. Thoed.
(m) Senec. de cons. ad Polib. cap. 26.
(n) Lips. in Praefat. ad Paneg. Plini, melius Dion Ni-

cenus in orat. 3. de Regno.

(o) Plut. in Apophleg.

(p) Plato in Polit.

(q) Synes. in orat. de Regno.

(r) Hadrian. ap. Spartanum in ejus vita.

(s) Am. Marcel. lib. 29.

(t) Paul. Aemil. hist. Franc. lib. 5.

(u) D. Bern. in lib. de consid. ad Eugen.

Romano Pontifici his verbis scripsit: *Præs singulariter, ad quid? numquid ut de subditis crescat? Nequaquam: sed potius ipsi de se Principem constituerunt Te, sea sibi, non Tibi.*

10 *Necque aliud ostendere voluerunt Graci, qui (ut Eustathius tradit, ab Albano Spinassato (x) relatus) inter varias appellations, quas suis Regibus indiderunt, illos *Aenachos* vocabant, quo nomine *Medulla* significatur, quasi eisdem intima, ac salubris subditorum incumbebant, ubi ret cura, & vel ex sui præcordiis, non secus ac suos pullos Pelecanus soler, eosdem, ubi opus esset, alere tenerentur. Quam & ipsam Aven, eamdem ob causam, Regum quoque symbolum esse, non obscurè indicavit Alfonso Rex noster, hujus nominis X. electus Romanorum Imperator, qui, ut *Oclavius Strada* (y) recoluit eo uti solebat, adjecto hoc lemmate, *Pro Lege, & pro Rege, & expressius adnuc Joachimus Camerarius* (z), peculiari ex eadem, in rem nostram, Emblemate cuso, & sic inquiens.*

*Sanguine vivificat Pelecanus pignora; sic Rex
Pro populo est vite prodigus ipse sue.*

11 Utopienses quoque hoc idem significare volebant, dum in sua illa Republica, seu perfectæ Reipublicæ Idea, sapientissimè à Thoma Moro conficta (a) & merito à Budæo, & aliis, multis laudibus commendata, Principem quidem ipsum, non vestis, aut diadema, sed gestatus frumenti manipulus discernebat, ut & Pontificis insigne erat, prælatus cereus, sic indicantes, vita lucem, atque alimoniam, subditos à suis Principibus expectare, vel ex eorum vita, manuque pendere.

12 Qui, etiam apud Romanos, veluti in ejusdem muneric indicationem, numquam foras exhibant, quin sibi ardens lampas præferretur, ut Herodianus (b), melius ceteris, & alii plures post eum Autores (c) observant, & in idem ipsum respiciens Corripius (d) Africanus, qui de Justino Constantinopolitano Imperatore sermonem faciens, in ludos Circenses prodeunte, non solum hujus moris, mentionem facit, verùm & pariter ostendit, Cæsaris adventantis signum esse, quod Cursores lucernas præferrent, easque in circo ponì solitas, veluti Sacrae, & non violanda Majestatis indicium, ejus verba, sic habent:

*Prænuntiū ante
Signa dedit Cursor, posita de more lucerna.
Exoritur lætum jucunda per agmina murmur.
Intentos oculos ad sedem vulgus berilem
Extulit assurgens. Quoniam ples leta videre
Fælicem Dominum, summo cupiebat amore.*

13 Persarum quoque Regibus eundem ignem, eadem etiam ratione, prælatum simul cum Solis imagine, & quantum hi Solem atque ignem venerarentur, pluribus ostendere possem, nisi id jam Lipsius (e), & Brisonius uberrimè præstisset (f) & satis ex prælibatis ad mentem Nostri Emblematis constet, cur Reges lucerne ardenti, & super candelabrum posite, similes fecerimus, & qualiter ipsi debant in suis subditos propriae lucis splendorem, & effectus emittere, usi potius, quam urentes, & sua dignitatis fulgore illuminantes, non excæctantes.

14 Eam quippe lucerna diffundit lucem, non qua nimio splendore perstringat oculos, sed quæ discussis tenebris exhibaret; non qua exterrat animos, sed qua recret, & alliciat. Fulgor Solis, aut hebetat, aut offundit adversam oculorum aciem: Fulgor terret, ac præstinguit. Saulum cades Christianorum anhelantem, subito circumfulsit lux de cœlo (g), attonitumque, ac stupentem humi prostravit.

15 Cum Regina Esther (h) Assuerum pro periclitante populo interpellatura adjisset, nimio illius splendore territa, ac examinata corruit, quoniam aspectu terribilis erat, cumque elevasset faciem, ardenter oculis furorem pectoris indicavat, sive ut alia litera habet, *Ecce oculi ejus erant ardentes sicut ignis.* Idque in more præsumidi Principes habent, quo solent ardentes flamas oculis ejaculari, ut prius aspectu terreat, quam feriant mucrone, & illud Jobi (i) sibi pro gloria ducunt: *Potestas, & terror apud eum est, & super quem non surget lumen illius?*

16 Absit autem à bonis, quos optamus, Principibus, lux, quæ obvios quosque fulgore ipso perterrere faciat, pavidosque ac trementes in tenebras, latibulaque conjiciat: cum potius, ut

rec-

(x) Spinas. in Polit. lib. 1. cap. 14. fol. 35.

(y) Strad. in Symb. Reg. pag. 27.

(z) Camer. Emblem. 37. cent. 3.

(a) Thom. Morus in Utopia, pag. mibi 117.

(b) Herod. in Commodo.

(c) Rodig. lib. 15. cap. 15. Alex. & ibi latè Tiraq. 1.

(d) Corrip. lib. 2. num. 8.

(e) Lips. ad Tacit. 1. Annal. pag. mibi.

(f) Briss. de Imper. Pers. pag. 82. & 163. & seqq.

(g) Actuum. 9.

(h) Ester cap. 15. 10.

(i) Job 25. 2. 3.

(k) Gen. cap. 28. Curopalatas de off. Eccles. Constant.

rectè & graviter Seneca (k) monnit: *Illus Principis magnitudo stabilis, fundataque sit, quem omnes tam supra se esse, quā pro se scīunt; cuius curam excubare pro salute singulorum, atque universorum quotidie experuntur. Quo procedente, non tanquam malum aliquod, aut noxiū animal è cubili posiliterit, diffugint: sed tanquam ad clarum, ac beneficū sydus certatim aduant, objicere se pro illo mucronibus insidiantur paratissimi, & substernere corpora sua, si per stragem illi bumanam, iter ad salutem struendum sit. Et in Germanico Tacitus (l) lauder, quod esset, Visusque & auditu justa venerabilis, cum magnitudinem, & gravitatem summe fortunæ retineret, invidian & adrogantium comitare in socios, & mansuetudine in hostes effugeret. Scitè admodum dixerit Plinius Junior (m): Male terrore veneratio acquiritur, longèque valentior est amor ab obtinendum quod velis, quām timor.*

17 Quia videlicet, juxta Salomonis (n) Proverbiū: *Misericordia, & veritas custodiunt Regem, & roboratur clementia thronus ejus;* & hoc lenissimo, suavissimoque benignitatis oleo, indies magis, magisque gliscit istius lucernæ, de qua agimus, flagrantissimum ignis, & ad exprimendum candore suo illum undique collocucent Deitatis Colem, proprius accedit. Maximè si qui in illa repræsentantur Principes, current (o):

Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem.

Et ita subditis prælucere, ut vitiorum fumus ex ipsa lucerna procedens, illam non horridam potius & oscuram, quam splendentem, & utilē faciat, ut benè admonuit *Divus Gregorius Nazianzenus* (p), sic in suis Tetraстichis, inquiens:

*Caveto queso, maximè vos Præsules,
Ns lumen omni prorsus orbum lumine,
Vitique tantum, non novi sitis Duces.
Si tale lumen, quatenus est tandem nigror?*

18 Illud identidem Lucani (q) memoriae mandantes:

Non sibi, sed toti genitos se credere mundo.

Et Codri ultimi Atheniensium Regis exemplum præ oculis habentes, qui cum didicisset Apollinis oraculo, Peloponensis, acerrimis eorumdem Atheniensium hostibus, victoriā, triumphumque amplissimum in bello, quod inferre parabant, promissum fuisse, modo ipsum Codrum in eo non occiderent. Eum vero si occiderent, de Peloponensis actum esse, eosque ab Atheniensibus subigendos; sordidum plebejumque induens sibi amictum, spinarum fascem humeris suscepit, eoque sese in Peloponensem turmas intrusit; eosque non minus lingua, quam spinarum aculeis lacerans, id effecit, ut ab illis occideretur, suaque morte populi sui saluti consuluit, quem suo sanguine à Peloponensis servitute liberavit, & ab eodem, in tanti beneficii memoriam, pro Deo deinceps habitus fuit. Quam historiam post Ciceronem (r), Justinum (s), Divum Augustum (t), & alios, luculentius narrat Alfonso Palestotus (u). Addens, in hoc Codro, Christum Servatorem, Salvatoremque nostrum figuratum videri, qui cum Rex etiam esset, ac proinde Candor, & Splendor lucis aeternæ, ut eum *Divus Paulus* (x) indigitat, humanam carnem, & servilem habitum induere voluit, & spinis coronatum, se ultrò morti tradere, ut commendatum sibi gregem à peccatis redimeret. Qua de causa illum, prout & Nos in nostro Principe facimus, *Candela* amoris appellare solent plures ex Sanctis Patribus (y), quæ semetipsam extinxit, ut Nos illuminaret; & , ut in Ecclesiastico (z) dicitur: *Quasi Stella matutina in medio nebulæ, & quasi Luna in diebus suis,* nobis suo exemplo, & actionibus præluceret. Adde Erasmus in similibus, rectè docentem: *Quod Sol in cœlo, id Princeps in populo. Sol, oculus mundi, Princeps, oculus multitudinis. Quod animus in homine, id Princeps in civitate: Animus sapit, Corpus obtemperat.*

(k) Senec. lib. 1. de Clem. cap. 3. Lips. in Praefat. ad Paneg. Plin.

(l) Tacit. 2. Annal.

(m) Plin. Jun. lib. 8. epist. ult.

(n) Prober. 20. 28.

(o) Horat. in Arte Poet.

(p) Nazianz. in tetras. pag. mibi. 217.

(r) Lucan. in Pharsal.

(s) Cicer. 1. Tuscb. in fine, & de Finib. lib. 5.

(t) Justinian. lib. 2.

(u) D. August. de Civitate Dei, lib. 18. cap. 19.


(x) Palest. de stigm. Christi, pag. 421.

(y) D. Paul. ad Hebr. 1. 3.

(z) S. Patres apud Coccium & Lorichium in Thesaur. verb. Christus.

(a) Eccles. 50. 6.

OFFICIUM REGIS OFFICIUM CAPITIS.



*En Caput: hic Opifex sensus Natura locavit,
Et toto solus corpore tactus inest.*

*Sic Caput Imperii, Populi cui corpus obedit,
Gustat pro cunctis, inspicit, audit, olet,*

COMMENTARIUS.

HOC quoque Emblemate, quod prima fronte vulgatum videri poterit, qualis quantaque attentio, & prudentia in Regibus requiratur, non ita vulgariter insinuamus. Neque enim radiatum Caput: ea tantum affingimus mente, quod Reges, Principesque, quibus Deus Supremus rerum omnium Moderator, & Arbitrus, vices suas in terris concessit, & Populorum habenas regendas commisit, eisdem populis prasint, & propter tanti muneric dignitatem, & eminentiam ipsorum Caput dicantur, & appellantur, quod frequentissimum est, & vel proverbialiter (*a*), pro omni eo usurpatum, quod est in re quavis praecipuum, sive ad quod unum reliqua omnia conferuntur. Quo etiam in sensu passim in Sacra Pagina (*b*) David, & alii Reges in Caput gentium constitui dicuntur.

2 Sed illud praecipue donatare intendimus, quod quemadmodum Supremus Artifex Deus, humani corporis apicem Caput constituit, & in eo, quia reliquis membris dominaturum erat, sensuum sedem, & nervos colocavit, ex quibus ceteri vitam capiunt, unde Varro (*c*), & alii (*d*) ejusdem nominis etymologia deducunt, & Plato in Timaeo illud *Divinissimum*; D. Ambrosius, *Imperiale Aulam* appellat; Pierius Valerianus (*e*) *Deum*; Pineda Noster (*f*), *Symbolum Sa-*

(*a*) Erasm. in *Adag.* Caput est, pag. mibi 10. & 11.

(*b*) Deut. 28. 44. Reg. 2. 22. 44. Psalm. 17. 44. Constitue me in Caput gentium.

(*c*) M. Varro de ling. *Lai. Fung.* in *Etym. verb.* Caput.

(*d*) Laelius de opificio Dei, cap. 12.

(*e*) Pierius in *Hierog. lib.* 32. cap. 2. fol. mibi 225.

(*f*) Pineda in *Eccles.* pag. 242.

Sapientiae. Veteresque cum singulis corporis partibus singulos praeficerent Deos, & proinde genua misericordia, dextram Fidei, frontem genio, aures memorie, supercilia Junoni, oculos Cupidini, renes & inguina Veneri, pectus Neptuno, talos & plantas Thetidi, pedes Mercurio, dorsum Plutoni, consecrarent, solum Caput Jovi Optimo Maximo sacrarunt, qui, sicut Caput, nervorum sensuumque principium est, ita & ipse vita auctor, & motus omnium rerum esse credebatur, qua omnia comprehendens Poeta Nuperus (*g*) scitissime dixit:

*In capite est ratio, & rationis quinque ministri,
Divinum in reliquo corpore penè nibil est.*

3 Pari quoque ratione, qui in mixto Reipublice corpore ceteris gentibus, tamquam membris, imperaturus praeficitur, humani capitis instar, illis vitam impendere, sensibus omnibus vigere, pro omnia ac praे omnibus videre, audire, olere, dolere, gustare, sentire, palpare, & denique totius corporis Rector vigilantissimus esse debeat.

4 Quam similitudinem novissime Petrus Matthæus (*b*), P. Joannes à Sancta Maria (*i*), Marcus Antonius Petilius (*k*), & alii tetigisse videntur: & ante eos Seneca (*l*) in loco, quem statim adducam, & D. Bernardus (*m*), dico inquit, quod, quam habet rationem cœlum ad reliquum Mundum, eam & Rex ad Rempublicam habere debet. Quod, idem valet, ac si diceret, eamdem rationem habere debere, quam Caput ad corpus, ut Artemidorus Daldianus (*n*) docuit, Platonicon (*o*), ut appareat, sententiam sequutus, qui tradunt, humanum caput ad mundani orbis similitudinem compactum, in eoque duos animæ divinos circuitus interlocatos, esse membrum divinissimum, ac reliquorum omnino Princeps: reliqua, ut cabiti serviant, adiuncta.

5 Egidius (*p*) etiam Romanus ita eidem similitudini hæret, ut omnia pessum ire in Republica tradat, si ejus Caput, & animus talis non sit, ut reliquo corpori dominari valeat. Ejus verba sic habent: *Quia Principis officium ac munus est, ita Regnum gubernare ac praesidere, sicut corpori praesidet animus. Qui autem sic se gerit, ut in ipso animus taceat, corpus autem principetur, præstantissimo optime administrationis exemplari caret, & tyrannidis exemplum præsto babet: nam corporis in animum Principatus Tyrannis est, atque Tyrannidis exemplar.* Qua in doctrina, illam Seneca (*q*) sequutus videtur, qua ostendit, *Animo hominis incolumi, cetera hominis in officio manere, parere, obtemperare, si ille vacillat, nutare omnia.*

6 Sed audi precor Marsilius Ficinum (*r*), qui magis adhuc aperte, & ad nostri Emblematis mentem, totum hoc Capitis humani, & Reipublice officium, excellenterque, quam requirit, rationem, sic eleganter exponit: *Cum omnes homines, & specie sint æquales, & arbitrio liberi, iniquissimo nimis animo servitutem ferunt, nisi fortè qui dominantur, quantum inferiores exceedunt sublimitate, tantum eisdem æquentur humilitate, ac longe magis Sapientia, quam fortuna excellere videantur. Natura membris capite inferioribus solam dedit tangendi potentiam: solum vero caput omnium sensuum turibus exornabit. Qua quidem in re homines admonuisse videntur, qui ceteris tamquam caput præsse conantur, tantum sapientia reliquos superare debere, quantum caput ipsum sensu membra omnia superat.*

7 Et aliis relictis, qua facile esset in ejusdem similitudinis comprobationem congerere, quoniam qui cum Regibus loquimur, documentis aliorum Regum magis ipsorum animos accendemus; præstat eisdem Alfonsi Regis Nostri X. verba proponere, qui in suis septem partis legibus (*s*), non contentus sæpè sæpius hac similitudine uti, in quadam scitissime exprimit, quibus de causis Reges sui Regni Caput dicantur. In alia (*t*), postquam ex Sanctorum Patrum auctoritate deduxit, Regem populi sui Cor, & Animam esse, ex quibus reliquis membris motus, atque operatio, & vita contigit, ac proinde eidem parere & opitulari debere, hæc statim verba subnectit: *E naturalmente digeron los Sabios, que el Rei es cabeza del Reino; que asi como de la Cabeza nacen los sentidos del cuerpo, bien asi por el mandamiento del Rei, que es Señor, i Cabeza de todos los del Reino, se deben mandar, i guiar, i aver un acuerdo con él para le obedecer, i amparar, è guiar, è acrecentar el Reino, onde él es el Alma, i Cabeza, i ellos los miembros, &c.*

8 Et rursus in alia (*u*), non minus ad rem nostram aperte, sic habet: *Semejanza mui con razon pusieron los Sabios en dos maneras al Rei sobre su pueblo: la una à la cabeza del ome, on de*

(*g*) Joann. Ovensus, in *Epig.* pag. mibi 113.

(*h*) Petr. Matth. in *narrai.* 1. part.

(*i*) Sancta Maria de Repub. Christ. cap. 4. ex pag. 35.

(*k*) Petil. de man. Princ. lib. 2. cap. 1. col. 1. Saavedra ex pag. 130.

(*l*) Senec. lib. 1. de Clem. cap. 4.

(*m*) D. Bern. de consid. ad Eng. lib. 1.

(*n*) Artemid. de som. interp. lib. 2. cap. 38.

(*o*) Platonici ap. Pier. ubi sup.

(*p*) Egid. de Princ. lib. 1. 2. part.

(*q*) Senec. epist. 114.

(*r*) Ficin. ad Tim. Platon. apud Canob. in *Aph. Polit.* 1. tom. pag. 451.

(*s*) L. 9. tit. 13. part. 2.

(*t*) L. 5. tit. 1. part. 2.

(*u*) L. 62. qua est ult. tit. 13. part. 2.

de nacen los sentidos: la otra al Corazon, do es el anima de la vida. Ca asi como los sentidos de la Cabeza se mandan todos los miembros del Cuerpo; otrosi todos los del Reino se mandan, é se guian por el seso del Rei, é por eso es llamado Cabeza del pueblo. Otrosi, como el Corazon está en medio del cuerpo, para dar vida igualmente á todos los miembros d'el, así puso Dios al Rei en medio del pueblo, para dar egualdad, è justicia á todos comunamente, porque puedan vivir en paz. E por esta razon le pusieron este nombre los Antiguos, Anima, é Corazon del pueblo: é bien asi como todos los miembros del cuerpo guardan, é defienden á estos dos, otrosi el Pueblo es tenido de guardar, i de defender al Rei, que es puesto á semejanza de ellos, demás que es Señor natural, &c.

9 Quas leges, licet earum Glossographi (x) parum, ut nihil illustrent, Hieronymus tamen Zevallus (y), ipsarum mentionem faciens, dixit, ob celsitudinem etiam, Capiti in totum corpus Principatum concedi, indeque item Regibus assimilari, & dominationis symbolum & indicium esse, (quod & Pierius Valerianus (z) observat). Et quia quemadmodum caput occiduum est, sic Rex populo prospicere debeat, scireque, quod in se est, obtutu res occultas præceteris rimari; Aquila Regiae similis, quæ cum in aërem referatur, pisces in profundo maris intropicit.

10 Sed melius, ad easdem leges veluti respiciens D. Thomas (a), sic habet: *Hoc igitur officium Rex se suscepisse cognoscet, ut sit in Regno, sicut in corpore anima, & sicut Deus in mundo: que si diligenter recognitet, ex altero in eo justitie zelus accenditur, dum considerat se ad hoc positum, ut loco Dei judicium in Regno exerceat: ex altero vero mansuetudinis, & clementiae lenitatem acquirat, dum reputat, singulos, qui suo subsunt regimini, sicut propria membra.*

11 Noster quoque Joannes Pineda (b), lectu dignissimus, illud Jobi exponens, quo dixit: *Oculus fui cæco, & pes claudo, valde ad rem nostram subnotat, Principes in Scripturis, habere nomen ab elevando, non tam quod ipsi elevati sint, portenturque sublimes in humeris aliorum, quam quod ipsi elevent, portentque aliorum onera super se, & licet caput sint, ac supra Reipublicæ pars, ita tamen debeant intendere in singulorum, etiam abjectissimum popularium commoda, ut etiam oculi sint, atque pedes, ceteraque membra Reipublicæ necessaria. Non enim tantum loci, & sedis præcellentis honorem habet Caput in humano corpore, sui honoris gratia, sed potius propter totius corporis utilitatem, & usum, ut melius influxum suum, atque vim derivare inde possit in universas totius corporis partes. Quare ita Princeps est caput, ut sit cor Reipublicæ, manus, pedes, qui totum Reipublicæ pondus sustineant, & circumferant. Et rursus (c) de domus contignatione cum Ecclesiaste pertrahens, non minus benè considerat, quod licet in adiunctis lapideis, fundamentum infimum ea firma, & stabilità reddere solet: in Republica tamen, tectum, & pars Regni suprema, inferiora omnia protegit, & suo complexu continet; hæc enim nituntur tecto, & contignationi. Et quamquam Principes suam etiam fundamenti rationem obtineant, & orbem portare dicantur, quippè idem qui sunt Capita populorum, sint etiam & pedes. Qua tamen parte tec-tis propter summitatem assimilantur, ad eos spectat reliqua Regniarta, ac tecta tueri sedulioque dispicere, & inquirere, num tigna domus integra sint, & ponderi, cui deserviunt, sufficiant.*

12 Sed ut Emblematis nostri, & dictarum legum singulas partes magis illustremus, quod in eis de Principatu Capitis dicitur, propter sensum omnium sedem innibi à natura locataam, ad Sapientiam & Prudentiam pertinet, que in Principe, Reipublicæ quoque Capite, desideratur. Deus quippe, ut ille dixit:

*Hanc summa capitum fundavit in arce
Mandatricem operum, prospætricemque laborum.*

Cunctorumque saluti, in ita edito loco constituit, ne cupido, luxuria, atque appetitus, & alia vitia, quæ in corpore infernas abdominis partes tenent, publicam in ipsa, & cum ipsa, utilitatem perturbent.

13 Estque adeo in quolibet homine, sed præcipue in Moderatore aliorum hominum necessaria, ut Homerus ab Homobono (d) relatus, eam ceterarum virtutum aurigam faciat; Seneca (e), ejus originem à colo deducat, & ita magnificet, & ipsam vocare audeat: *Partem in nomine Divini Spiritus mersam.* Divus Augustinus (f): *Aspectum mentis, qui bonum malum-* que

(x) Montal. & Greg. Lopez.

(y) Zevall. de violent. gloss. 18. num. 60. & 61.

(z) Pier. sup. fol. 225. 6.

(a) D. Thom. de Regin. Princ.

(b) Pineda in Job cap. 29. vers. 15. num. 4. pag. 537.

(c) Idem Pineda in Eccles. cap. 10. vers. 17. pag. 1036.

(d) Homob. de stat. hom. pag. 103.

(e) Senec. in lib. de spirit. & anim.

(f) D. Aug. lib. 83. q.

que descernit, virtutes eligit, Deum diligit, & cognitionem rerum appetendarum, & fugiendarum. Divus Gregorius (g): Amorem sagaciter eligentem ea, quibus adjuvatur, ab eis, quibus impeditur. Divus Thoinas (h): Reflam rationem rerum agendarum, cuius præscripto omnes aliae virtutes in suis aliis continentur. Et alia lex (i) nostra partita: *Cordura es la primera de las otras quatro virtudes, que disimos en la tercera lei ante de esta, que ha el Rei mucho menester para vivir en este mundo bien derechamente. Ca esta face ver las causas, e juzgarlas ciertamente segun son, e pueden ser, e obrar en ellas como debe, e non rebato-samente.*

14 Unde Aristoteles (k) meritò docuit, Prudentiam esse propriam Principum virtutem, & solidum mentis nostra ædificium, ea, & temperantia, fortitudine, ac justitia contineri. Et non minus recte Clytarchus dixisse narratur, quod Regem Prudentia, non diadema efficit, mens enim est quæ imperat. Xenophon (l) quoque, Reges ac Principes illos dicebat esse, non qui Sceptra tenerent, vel à quibusvis essent delecti, vel sorte, vi, aut fraudibus eò pervenissent; sed quotquot imprimè periti essent.

15 Et apud Plutarachum (m) legitimus, quod cum quidam reprendendi animo Iphicratem interrogasset, quis esset? Cum neque arma, neque arcum, neque ceras ferentium in ordine censeretur. Respondit, eum se esse, qui hisce omnibus imperaret. Sic sentiens, pulchrius esse bonum præstare Ducem, quam quenvis militem, & Imperatorem hac virtute prædictum esse oportere, qua sine, reliqua quæ hominibus pretiosa, pulchra, jucunda, laudabilia, utiliavè videntur, innutilia, damnosa, steriliaque sunt; & molestiam potius quam laudem, vel gloriam possidentibus allatura.

16 Eaque propter Aurelius Victor (n), duo esse dixit, quæ ab egregiis Principibus exspectentur; domi sanctitatem, in armis fortitudinem: utrobique autem Prudentiam, que aliarum directio est. Et inde Trajanum commendat, qui, quasi temperamento quadam, has virtutes miscuisse videretur, nisi qui cibo, vinoque paullulum deditus erat. Et non minus vere Juvenalis (o), nullum nomen abesse inquit, si Prudentia in nobis, & præsertim in Principibus, adsit. Quam in eisdem multum requirens Hermannus Kirchnerus (p), valde dolet in paucissimis reperi, & Marcus Prætorius (q) sic illius effectus describit, & quam sit Regnantibus necessaria concludit:

*Ut procul è specula, summa vel turre, ruentem
In patrias violenter opes, vigil aspicit hostem,
Venturasque cavit clades, & publica dama:
Sic ego propicio casus longè ante futuros,
Multaque maturè discrimina, multa pericla,
Consilii avertio bonis, & mente sagaci
Dirigo magnarum perplexa negotia rerum.
Ergo age qui populi fasces, & Sceptra gubernas,
Huc ades, & nostris faciles da vocibus aures.*

17 Et ut omittam Joannem Idenium (r), Antonium Bergam (s), & alios (t), qui de Prudentia necessitate in Reipublicæ Capitibus latissimè perotarunt, videndum præ omnibus mo-neo. Egidium (u) Romanum, qui pluribus Principes instruit, quomodo Prudentes evadere possint, quantumque ac quare in hac virtute paranda debeant insudare. Et Andreæm Gaillium (x) qui magis adhuc scopum nostri Emblematis feriens, non solùm unum caput, vel unius capituli sensus, sed plura, & plures in Principibus, Jani instar, desiderat, sic inquiens: *Ad-vigilare igitur, & gemina fronte debet esse bonus Princeps, instar Jani antiquissimi Italæ Regis, ut præterita noscat, & futura prospiciat. Hec enim ad Principis prudentiam, solertia-que pertinet: nam ex præteritis, & præsentibus futura metienda sunt, & in minimis vigilandum, ne paulatim incidiarus in maxima incommoda, quia res initio pusilla, crescunt in majus. Unde proverbio dicitur, Minutulan pluviam imbre facere; ad quod pulchre alludit Plautus in Menœchmis, Nunc in te cadunt folia, post cadent arbores.*

K

(g) D. Greg. in lib. de morib. Eccles.

(h) D. Thom. 2. 2. q. 47. art. 6.

(i) L. 8. tit. 5. part. 2.

(k) Aristot. 3. Polit. cap. 7. ornat. pluribus Menoch. de

arbit. caru 426.

(l) Xenon. in Cyriped.

(m) Plutar. in Apol. & Lycosth. pag. 232.

(n) Aurel. Victor in Epit. Imperat. cap. 13. de Trajan.

(o) Juven. satyr. 10.

(p) Kirchner. de offio. & dignit. Cancell. lib. 1. ca-pit. 13.

(q) M. Prætor. in carmin. de Prud.

(r) Idem de virut. bon. Princip. cap. 2.

(s) Berg. in practic. de prud. Princeps. necess.

(t) Ossor. de Reg. inst. & in lib. de Sapient.

(u) Egidium de Reginin. princip. 2. partis lib. 1. cap. 9.

(x) Andreæas Gail. de pace public. lib. 1. capit. 3. nu-meri 11.

18 Quo loco citare potuit nobile illud Alciati (y) Emblema, quod sub Jani bifrontis figura in Prudentia symbolum fecit, sic inquiens :

*Jane bifrons, qui jam transacta, futuraque calles,
Quique retro sannas, sicut & ante, vides:
Te tot cur oculis; cur fingunt vulibus? an quod
Circumspectum hominem forma fuisse docet?*

Ubi benè Claudio Minoes ex Macrobo (z) addit, hunc certè Regis optimi Typum esse, qui cum ceteris prasit, debet etiam prudentia, aliisque virtutibus ceteros (ut & jam Nos suprà diximus) antecedere, &, ut Plautus (a) ait, etiam in occipito oculos habere. Neque alia ratione Ägyptios oculum in Sceptro Regio in suis Hieroglyphicis designasse (b), quam ut in Principib; summisque Regibus, maxime Prudentiam, tamquam Reipublicæ vigilantem, & prosponentem oculum esse, significantur. Et quod Sol in celo, qui oculus mundi dicitur, id Princeps in populo præstaret, & multitudinis oculus esset.

19 Quod adeò verum est (c), ut ubi Caput his sensibus, hacve prudentia viget, & concretum sibi munus perfectè, ut oportet, exercet, populis tactus dumtaxat remaneat, ut in nostro Emblemate addimus, hoc est, parendi, & exequendi imperata necessitas; neque expediens cordatis viris censeatur; ut multum is de suo iudicio, consiliove præsumat. Eaque propter Spartani, teste (d) Plutarcho, literas ad usum tantum discebant, reliqua omnis disciplina erat, ut populi benè pararent, & in pugna vincerent. In idemque respiciens Tacitus (e): *Unum esse, docuit, Reipublicæ Corpus, atque unius animo regendum.* Et Salustius (f) : *Patres valere decet consilio, populo supervacanea calliditas est.*

20 Et cum, vel Dione (g) docente, Natura duas res, easdemque salutares, humano generi comparaverit, ut alii cum imperio essent, alii ei subjicerentur, nihilque sit, quæ circa haec vel minimo queat spatio perdurare; jam apparet, quanta erit in Republica perturbatio, si membra capitl non obdiant, sed potius capitl officium usurpare contentur, sic ipsum, sequi ipsa, pariter pessimumdantes, non secus, atque in humano contingere corpore, si vel à suo capite discederent membra, vel ipsa inter se præscriptas sibi à Natura functiones non obserarent, ut præclaro illo, satisque vulgato Apologo ventris, & reliquorum membrorum, docuit Menenius Agrippa, plebem à Patribus discedentem, ejus vi in concordiam reducens, ut latius, post Livium (h), & alii (i) plures Scriptores recensent, totam Politicam in eo contineri dicentes.

21 Et alio, non ita obvio, & ad rem nostram magis spectante, Plutarchus (k), de draconi, cuius fabula refert, dissidentem à capite caudam, vicissim postulavisse, ducere, neque perpetuò illud sequi. Accepto ducatu, cum ipsam vexatam fuisse, quod stulte iter instituerat; tum caput lacerasse, quod membra cæca & surda sequi cogeretur contra naturam: *Idemque cernimus (subdit) multis, qui Rempublicam gesserunt populariter, accidisse; cum enim multitudini temere janstanti addixissent se, neque revocare post, neque sistere potuerunt confusione.*

22 Et certè, semper hæc, & alia damna suboriri, si schisma in Politico Reipublicæ corpore interveniat, optimè noster M. Marquez (l) scriptum reliquit, inter alia Divi Pauli (m) locum expendens, quo monet: *Ut non sit scisma in corpore, sed id ipsum pro invicem solicita sint membra.* Et quemadmodum omnes benè facient omnia, si is, qui imperat, rectè imperet, ut Populum Romanum Imperatori Alexandro Severo respondisse Xiphilinus (n) commemorat: *Omnes rectè faciunt omnia, quia tu rectè imperas.* Sic ex adverso, secundum Hieronymum Ossorium (o), si in Republica quilibet suum gradum non servat, officiumvè non facit, nihil rectè, nihilque ornate fieri potest, sed omnia perturbari, & commisceri necesse est.

23 Tunc quippè (juxta Divi Thomæ (p) doctrinam) est perfecta Civium Congregatio, quando quilibet in suo statu debitam habet dispositionem, & operationem: sic enim ædificium est stabile, quando partes ejus sunt benè sitæ. Sic de Politia contingit, quæ firmitatem habet, & perpetuitatem, quan-

(y) Alciat. Emblem. 18.

(z) Macrobo. 1. Saturn. cap. 7.

(a) Plaut. in Aulularia.

(b) Horus Apoll. in Hierogl.

(c) Saaved. post alios, in Id. Polit. pag. 497.

(d) Plutarc. in Apoph. Lacon.

(e) Tacit. 1. Annal.

(f) Sallust. in Catilin.

(g) Dio lib. 41.

(h) Livius lib. 2.

(i) Senec. de ira, lib. 2. Halicarn. lib. 6. & alii apud Me in 2. tom. de Ind. gubern. lib. 1. cap. 4. num. 78. & seqq. Canone. in Aphor. Polit. 1. tom. pag. 181. Deir. in Adag. sacr. 2. tom. pag. 397.

(k) Plut. in vita Agis, & Cleom. in princ.

(l) Marq. in Gubern. Christi. 1. parti. pag. 173.

(m) D. Paul. 1. ad Corint. 12. 25.

(n) Xiphil. in Alexand. Severo.

(o) Ossor. lib. 1. de Reg. instit.

(p) D. Thom. lib. 4. de Regim. Princip. cap. 23.

unusquisque in suo gradu, sive officialis sit, sive subditus, debite operantur, ut suæ conditio nis requirat actio, &c.

24 Quod Divo Thoma non citato, Joannes Saresberiensis (q) his etiam verbis non inelegantius expressit: *Tunc etenim totum Reipublicæ Corpus roboris sui integritate vigebit, tunc optimè compositionis specie venustabitur, & elegantis pulchritudinis decorum induet, si singula locum teneant sortita decenter. Si fuerit officiorum non confusio, sed distributio. Hoc ita, si optimam vivendi ducem naturam sequimur. Sed nunc, quod Medicorum est promittunt fabri, Medicæ fabrilia trahant, & officium Præsidendi à venatoribus, & humilioribus officiis, aut etiam maleficiis mutuantur; & privatrorum temeritas, aut discipline ignorantia, se audet publicis officiis immiscere.*

25 Denique, quod in nostro Emblemate pingimus, & relatæ Nostrarum Partitarum leges prolixius enarrant, de mixti Corporis Regni cum suo Rege, ac Capite unione, & qualiter, ad imitationem humani, unum corpus constituent, & se inter se mutuis officiis & auxiliis juvare debeat, non minus certum, quam apertum est, & à Politicis omnibus ita passim probatum, & illustratum, ut supervacanci laboris censerit possit, in eo retractando verba consumere. Sed adhuc illa Seneca (r) omitti non possunt, quibus tunc, tam Romani Imperii, quam aliorum ruinam minatur: *Quando ab bac unitate discesserint, Populusque impositos sibi à suo capite frenos abruperit, vel aliquo casu discussos, reponi sibi passus non erit. Hæc unitas & hic maximi Imperii contextus, in partes multas dissiliat: idemque huic urbi dominandi finis erit, qui & parendi fuerit. Ideò Principes, Regesque, & quocunque alio nomine sunt tutores status publici, non est mirum amari, ultra privatæ etiam necessitudines. Nam si sanis hominibus publica privatis potiora sunt, sequitur atque, quod rarer sit, in quem se Respubliea convertit. Olim enim ita se induit Respubliea Cesar, ut diduci alterum non possit, sine utriusque pernicie, nam ut illi viribus opus est, ita huic capite. Ille enim est vinculum per quod Respubliea cohæret, spiritus vitalis, quem hæc tot millia trahunt, nihil ipsa per se futura, nisi onus & præda, si mens illa Imperii substrahatur.*

Sic Virgilius (s):

Rege incolunt mens omnibus una

Amisso rupere Fidem.

26 Petrus etiam Andreas Canonherius (t), eamdem similitudinem premens, inquit, quod sicut in corpore humano partes sunt sibi mutuo auxilio, ac in primis caput protegunt, ac defendunt, quia ab eo singularum salus dependet: sic in Republica cives Magistratum ac Principum defensionem capere debent, & carmina hæc ex quodam incerto Poëta subponit:

Est corpus, quod in his vigeat inviolabile terris:

Robore membra valent, consilioque Caput.

Poscit opem pia membra Caput, nec membra recusant:

Mutuus hic demum consolidatur Amor.

Fit, fieri longo nequit ut quod tempore tandem,

Cur? Capitis curam nam Deus ipse gerit.

Quam bene duon Caput est salvum, salva omnia membra;

Ergo ut vivatis, membra facete Caput.

27 Et potuit etiam adducere elegantius adhuc Epigramma Piissimi ac eruditissimi Thome Mori (u), qui de eodem arguento agens, sic habet.

Totum est unus Homo Regum, idque cohæret amore,

Rex Caput est; Populus cetera membra facit.

Rex quot habet cives (dolet ergo perdere quemquam)

Tot numerat partes Corporis ipse sui:

Exponit populus sese pro Rege, putatque

Quilibet hunc proprii Corporis esse Caput.

28 Atque hinc est, ut Bonus Princeps non solùm subditorum calamitatem solari, sed illam, quoad fieri possit auferre, ac resarcire debeat, & Alexandri Severi Imperatoris (x) celebrem illam legem sequutus: *Non minus in cura, eorum, qui reguntur, libertatem & utilitatem.*

K 2

(q) Sarisberiens. in Politrat. lib. 1. cap. 3. & lib. 5. cap. 2. & seqq.

(r) Senec. lib. 1. de Clem. cap. 4.

(s) Virg. 4. Georg. loquens de Apibus.

(t) Canoh. in Aphor. Polit. 1. tom. pag. 213.

(u) Morus in Epigr. pag. mihi 212.

(x) Alex. Sever. Imper. in I. non tantum 25. C. de ap-


pelat, quam è Greco traduxit Alciat. lib. 1. dispunct. c. 16.

litatem, quam obedientiam, & benevolentiam babere. Eosdem ipsos tamquam Caput totis sensibus, totis nervis, ac consiliis juvans, regens, ac dirigens, & Christi exemplo, in illorum doloribus, & languoribus Chirurgum ac Medicum agens, qui, ut Divus Chrysostomus (y) inquit: Pro natura melior quidem, quam quisvis Medicus, curator erat bonum manorum, ac membris captorum: nam quæ arte corrigi nequibant, solatio ipsa ac mira providentia usus, recreabat, siquidem, nec claudicationem, nec cæcitatem illi ipsi sentiebant: tanta in eos bujus cura, & studium existebat, ut calamitatem ipsam minime viderentur experti. Nostræ autem etatis homines, videntes etiam cœcos factunt.

29 Quemadmodum alia ex parte Populus ipse, in suo Principe amando, protegendo, obediendo, & modis omnibus inserviendo, nullum studium, nullumque officium omittere debet. Hoc enim pacto, ut recte Marcus Antonius Petilius (z) animadvertisit, illud Salomonis (a) impletbitur, dum in unius hominis sapientia, totius civitatis sapientiam, & salutem positam dixit. Et hoc nodo (quem ipse Petilius Gordianum, seu Herculanium fuisse inquit, & à Rege Nostro Ferdinando Catholico in hunc sensum pro symbolo, aut insigni gestatum) omnis Reipublicæ nexus, felixque & durabilis status continetur, ac conservatur, dum sic Princeps Regnum, & Regnum Principi; Caput membris, membraque Capiti, mutuis officiis, & auxiliis se invicem vincunt, ac vincunt, & alii aliis opuluntur, ut veluti insolubile, ac difficile judicatum sit, quis cui plus præstet, aut debeat, ut Græco quandam illo Epigrammate notabatur, de Claudio, humeris cœci gestato, dum ille hunc suis oculis dirigebat, & hic illum sanis pedibus commodabat. Ex quo Alciatus (b) sub lemate, *Mutuum auxilium*, hoc Emblema formavit:

Loripidem sublatum humeris fert lumine cœcus,
Et socii hæc oculis munera retribuit:
Quo caret alteruter, concors sic præstat uterque,
Et socii hæc oculis munera retribuit.

30 Ex quibus & aliis Marquez noster concludit: Que es menester que Rei, i Reino se traigan en ombros. Et in idem tendens Divus Chrysostomus (c) addit, ex eodem Capitis officio, quod in Rege agnoscimus dimanare, ut quemadmodum solum caput reliquorum artuum plagas luget, ita Rex, caput gentium, pro ærumnis, & calamitatibus subditorum sibi hominem, torqueatur, misereatur, & lachrymetur, ut & Divus Paulus (d) se pro suis discipulis, & Ecclesiis, quarum Caput erat, fecisse testatur; & Cassiodorus (e) de suo Theodosiro passim prædicare conspicitur. Quibus addo colophonem ex Seneci (f), qui idem officium Capitis, non minus sciè, his verbis expressit: A capite bona valetudo: inde omnia vegeta sunt, atque erecta, aut languore demissa, prout animus eorum viget, aut marcescit. Et erunt cives, erunt socii, digni bac bonitate, & in totum orbem resti mores revertentur.



(y) D. Chrysost. super Job. cap. 29.

(z) Petil. de mun. Princ. lib. 4. cap. 3.

(a) Eccl. 9. 15.

(b) Alciat. Emblem. 160.

(c) D. Chrysost. epist. 29. ad Roman. Euseb. in Theop.


pag. 551.

(d) D. Paul. 2. Cor. 11. 29.

(e) Casiod. lib. 6. epist. 24. & lib. 10. epist. 17.

(f) Senec. de Clem. lib. 2. cap. 2.

VITA REGUM, QUASI TEXENTIS.



Stamina cur Celsæ dabimus texenda Coronæ,
Cur Regis manibus stamen secernit arundo?
Expediunt radios digitæ, pedibusque citatum
Ardet opus, doctosque movet per fila lacertos.
Rex deamet Texentis opus, Regnoque regendo
Brachia, mens, oculus vigilent, quando omnia lustrant.

COMMENTARIUS.

I Endi, texendique artem Palladem, alio nomine Minervam dictam, instituisse, vel ex Fastis Ovidii (a) discere possumus, ubi ait:



Pallade placata lanam mollire pueræ
Discant, & plena exonerare colos.
Illa etiam stantes radio percurvere telas
Erudit, & rarum pectine densat opus.

Quæ, cum etiam Armorum, & Literarum Dea nuncupetur, nemo mirabitur, si ut has, illam quoque artem Regibus applicemus.

2 Præsertim cum textoria operatio, ac simul tele præciso, non semel in Sacris Litteris vitæ hominis, brevitatiq; ejus assimiletur; sic enim apud Isaiam (b) legimus: Præcisa est velut à texente vita mea, &c. & apud Jobum (c): Dies mei velocius transierunt, quam à texente tela succiditur, & consumpti sunt absque ulla spe. Et appositè quidem, nam fila, quibus vita hominum textur, torqueant, nent, & præscindunt tres ille Paræ, quas hac de causa Apulejus (d), Textrices, Alii Sorores lanificas, Deasque fatales appellarent, humanæ vitæ stamina dispensantes; ut latè Lilius Giraldus (e) & Natalis Comes (f) ostendunt.

3 Nos, nostro hoc Emblemate, Reges Textoribus similes facimus, non tam ob jus vitæ, & necis, quod Parcarum instar in subditos habent, quam ad Apophthegma Christianissimi Galliarum Regis Henrici IV. respectum habentes, qui, ut Petrus Matthæus (g) in suis narrationibus refert, sæpius dicere solebat, Regis vitam, & officio, ejusdem esse conditionis cum vita, & officio Texentis, quoniam uterque in ministerio sive opere suo, quod valde est laboriosum, nimis attentus, & assiduus esse debet, ut potè quod omnem hominem desideret. Simul quippè Texenti brachiis, & pedibus operandum est, oculis ad telam intenden-

(a) Ovid. 3. Fast.

(b) Isaiae 38. 12.

(c) Job 7. 6.

(d) Apulej. in Asin. aureo, lib. 6.

(e) Giral. de Diis gen. syntag. 1.

(f) Nat. Camæs in Mitholog. pag. 207. & seqq.

(g) Pet. Matth. in narrat. 1. par. pag. mibi 65.

dum, totaque animi contentione de tot filis uno, eodemque tempore curandum, unus enim rumpit, alter alibi hæret, seu implicatur, & si forcipe utens, eamdem fornicem transversam agas, totam telam, quam fueras orsus, dissolves, & inutilem reddes.

4 Quod post Possidonium describens Seneca (b), curare debere Textorem ait: *Quemadmodum alia torqueantur fila, alia ex molli, solutoque ducantur: deinde quemadmodum tela suspensis ponderibus rectum stamen extendat, quemadmodum subtegmen insertum, quod duritiam utrimque comprimentis trame remolliat, sparta coire cogantur & jungi, quia, ut ait Ovidus (i):*

*Tela jugo juncta est, stamen secernit arundo
Inseritur medium radiis subtegmen acutis,
Percuso ferunt insecti pectine dentes.*

5 Prout pariter in Regis vita munere contingit, qui omnes sui Regni partes animo complecti, omnibus auctor esse debet, ut alibi dixit Statius (k) Papinius:

Omnia namque animo complexus, & omnibus Auctor.

Et in omnia oculorum aciem dirigere, simulque manus, ac pedes admovere opus est, & tota mente pluribus, eisdemque divisis emergentium negotiorum filis, divisim etiam intendere. Unum putat filum in Hispaniam diducens, in Italianum alterum: alterum in Galliam, aut ulteriores Indiarum provincias, non omissa interim cura eorum, qua domi pace, bellove geruntur, aut disponuntur. Quorum si aliquod fortè rumpatur, summo studio, ut statim nodetur, alterve ejus loco adnectatur, curandum est, ne si secus fiat, vel tota tela rumpatur, vel minus aptè sibi cohereat, & universus labor propter quilibet incuriam frustretur, & finis, tot mediis, curisque exoptatus, consequi nequeat. Exemplo Virgiliani (l) Palinuri, qui in mari, non de die solum gubernabat, sed ipsa nocte:

*Clavumque affixus, & hærens,
Numquam amitterebat, oculosque sub astra tenebat.*

6 Quarum sanè rerum multiplicata, & sèpè implicata solicitudinem, in suo Jove, licet satirice, aut ironice pungit Lucianus (m), uno in loco dicens, qualiter nunc Equestrum Thracum terram aspiciat: nunc autem rursus ad Myssorum terram oculos defectat; rursusque ad res Romanorum seorsim aspiciat, & statim in Persas sesse convertat. Et in alio, quomodo det vota proponentibus, jurantibus aut foedera ferientibus, operam; quomodo de auguriis ac divinationibus audiat, fumumque & orationes sacrificantium, remque divinam facientium, accipiat: rursumque omisso his, ventis & horis mandet, quæ facere debant: *Hodie apud Scythas pluto, apud Lybes fulgorato, apud Graecos nigrito. Ac Tu, Borea, spira in Lydia. Tu, Note, quiesce: Zephyrus Adriani undas concitet. Tum in Cappadociam grandinis mille modii dispersantur.*

7 Et seniora percurrentes, si, vel Plinius Junior (n), privatus homo, & privatam adhuc vitam agens, ad nostram veluti texrinam respiciens, arctissimos negotiorum laqueos, quibus distinebatur, abrumpere cupiebat, si solvere negaretur: *Nam veteribus (inquit) negotiis nova accidunt, nec tamen priora peraguntur, tot nescibus, tot quasi catenis, majus iudicis occupationis agmen extenditur.* Quid de Regibus ac Principibus multarum gentium dicere, aut sentire poterimus, in quibus, & de quibus, merito hac de causa dicere Seneca (o) potuit, Magnam servitutem esse magnam fortunam, nec licere sibi quicquam arbitrio suo facere: *Audienda, addens, sunt tot hominum millia, tot disponendi libelli, tantus rerum ex toto orbe accurrentium congestus, ut possit per ordinem suum Principis animo subjici, erigendus ipse es, ex quo se Cæsar orbi terrarum dedicavit, sibi eripuit, & syderum modo, quæ irrequia semper, cursus suos explicant, numquam illi licet, nec subsistere, nec quicquam suum facere, &c.*

8 Cui loco (quem jam latius expendi in Emblemati XII. Comentario) mirè alter Plinius (p) Junioris arridet, qui suum Trajanum maximè vel ex eo commendat, quod velocissimi syderis more, omnia inviseret, omnia audiret, omnia curaret, & undecunque invocatum, statim, numen velut, adesse; instarque refelctionis existimaret, mutationem laberis. Prout & in suo Theodosio Latinus Pacatus, eamdemmet sententiam his verbis expendens: *Gaudent profecto divina perpetuo motu, & jugi agitatione se vegetat æternitas: & quidquid homines vocamus labore, vestra natura est. Ut indefessa vertigo cœlum rotat, ut maria æstibus inquieta sunt, & stare*

In

(b) Senec. epist. 90. ad medium.

(i) Ovid. 6. Metam.

(k) Stat. in Epiced. Patricii,

(l) Virgil. Æneid. 4.

(m) Lucian. in Dial. quom. hist. scrib. & in Icaro menit.

(n) Plin. Jun. lib. 2. epist. 8.

(o) Senec. de Consol. ad Polyb. cap. 26.

(p) Plin. in Paneg. ad Trajan.

Sol nescit: ita tu Imperator, continuatis negotiis, & in se quodam orbe redeuntibus, semper exercitus es.

9 In hasque ipsas sedulas Principum attentiones, & assiduas occupationes respicit illud, quod Julianus Imperator, amicis de Imperio gratulantribus, respondit, ut Lampridius (q) commemorat: *Cæpit purpurea mors, & Parca violenta. Nihil me amplius assequutum puto, quām ut occupatio inteream: & Alfonsi Regis Neapolitani, & Aragonum I. qui, referente Antonio Panormitanu (r), quibusdam in Regibus multum laboreculptantibus, dixit: Naturam Regibus manus non dedisse, ut eas prorsus otiosas esse sinerent. Cum potius certum sit, recteque à Petilio (s) & Lainez (t) animadversum, numquam debere Reges se ita diligentes, ac vigilantes putare, quin & diligentiores, ac vigilantes esse oporteat, si vel se ipsos spectent, vel populum, cuius meritum & necessitatibus, ut alibi Cicero (u) ait, officia eorum licet sit magna vincuntur; & à quo, in harum curarum & solicitudinum primum, ut jam suprà ex Socrate, & aliis retulimus (& latè & eleganter Noster Eusebius Nierembergius (x) prosequitur) Principcipium accipiunt, non ut sui ipsum curam habeant.*

10 Unde Tacitus (y) eos notat: *Qui bæc Principia præmia putant, ut libido, ac voluptas penes ipsos sit: robur ac dedecus penes omnes. Et Seneca (z) dicit, quod, ut quidam Sole & exercitatione, & cura, corporis diem ducunt, Athletisque utilissimum est, lacertos suos, roburque, cui se uni dicaverunt, majore temporis parte nutrire: ita & illis, qui animum ad rerum civiliū certamen parant, in opere esse, non potest non esse longè pulcherrimum. Et cum utiles se efficer cibis, mortalibusque propositum habeant, simul & exerceantur, & proficiant, qui in mediis se officiis posuerunt, communia pro facultate administrantes.*

11 Quam obligationem agnosces Marcus Aurelius Imperator, ut Dion (a) in ejus vita reconsent, nihil dicere solebat, nihil scribere, aut facere negligenter, sed attentionem Nostri Textoris veluti præoculis habens, vel in minimis rebus diem sapienter consumebat; quod existimaret, non decere Imperatore temere, & properè quicquam agere. Si quid enim praeterrisisset, vel in minimis rebus, non putabat se in ceteris calumiam effugere posse.

12 Eademque sentiens, & describens Rodericus Calaguritanus (b), durissimum officium Regis dixit: *Quoniam non vacat tempus Principi, satisfacturo fortune omnium, providentique communio. Duorum, vel trium liberorum educatio occupat totum pectus paternum, licet amor illud capax faciat, & expendat curis. Quomodo tot millum capitum procuratio non innumeris curis Regium cendet pectus?*

13 Rex (c) enim Pater orphanorum est, Sponsus viduarum, Deus pauperum, Satelles divitium, Oculus cæcorum, Manus mutilatorum, Supplementum necessitatum communum, Votum universorum, Amor omnium, Numen mortale, & in hoc primum æternum debet imitari, quod æternè curat, vigilet, amet, agat, id est, benè agat, benè texat, benè filia telæ Regni sui disponat, & premat.

14 Unde æquè atque in aliis sapienter (Panormitanu (d) testante) Alphonsus, Aragonum Rex, sapienter percepit, ut popularium suorum unusquisque Rex exitisset, quo demum illi, utpote experti, cognoscerent Principium occupationes, & curas.

15 Discant igitur Reges quantum si bonum publicum, cum ei summus honos hominum dedicetur, ejusque ponderi, ut cum Seneca (e) loquar: *Non magis sibi caput incurvare licere, quām illi, si quis modo est fabulis traditus, cuius humeris mundus innititur.*

16 Quod si fortè soli ipsum humeri ad res tantas ferendas non sufficiant, nec tot nosstræ telæ filii attendere possint, Fidelium hoc Ministrorum oculis, & manibus suppleant juxta ea, qua commodius infra (f) dicemus.



EM-

(q) Lamprid. in Juliano.

(r) Panorm. de dict. & fact. Reg. Alfon.

(s) Petil. de mun. Princeps lib. 1. cap. 32. in fin.

(t) Lain. in Privat. Christi pag. 524.

(u) Cicero lib. 1. fam. epist. 8. & lib. 6. epist. 4.

(v) Euseb. Nieremb. in Theopol. lib. 1. part. 2. cap.

2. ex pag. 329.

(w) Tacit. 1. hist. cap. 30.

(x) Senec. de Tranq. cap. 3.

(y) Dion, Xiph. in M. Aviel.

(z) Roder. Calagur. lib. 1. Spec. cap. 2.

(c) Euseb. ubi suprad.

(d) Panorm. lib. 3. de dict. & fact. Alpb.

(e) Senec. de Consol. ad Polyb. cap. 26. Lucan. in carmin. ad Pison. ibi. Sed non fessa labat.

(f) Infræ Emblem. 54.